

## De felicitate et humana perfectione

### *De summa felicitate et suprema perfectione humana*

Felicitatem quidem et humanam perfectionem longe quaesitam ab omnibus tantumque naturali appetitu desideratam, raro tamen ab hominibus inventam modo expedit (ut antea scrutari permisimus) enodare. In cuius investigatione, si nos aequo animo gentium multitudinem revolverimus, eam difficiliorem quam communiter existimatur, inveniemus multifariamque illam plerique fore capessendam persenserunt, prout ipsi vario vel corporis aut sensuum vel potius rationis adminiculo excitantur neque hunc usque in diem diversae defuerunt horum opiniones de felicitatis humanae assecutione, quod sane potissima de causa provenire quispiam facile putavit. Si consentaneii suae concupiscentiae terminum adaptavit, uti beatum deffinienti ac per singula discurrenti videre licet. Beatus equidem ille dicitur, qui habet quicquid appetit sperni rationem. Infirmi enim summopere sanitatem pie omnibus concupiscunt. Pauperes autem divitias, ambitiosi honores, lascivientes corporis illecebras, milites victoriam et rapinam, civiles vero pollitiam et nobilitatem, ita discurrentibus per omnes actus et operationes humanas bona corporis vel fortunae magis quam divina bona preferentes hoc hominum genus in terrenis posuisse felicitatem putabitur. Quorum omnium quam vanae sint opiniones adversus ipsum rectae rationis dictamen nequamquam eruditis excludere difficile.

Quandoquidem, si in bona corporis valetudine persecuta esset, rationalium felicitas aut sensuum facultate brutorum profecto plurima nobis esse beatiora quilibet perspiciet, nam pisces in corporali sanitate, leones in cede et rapinis, lince visus, voltures odoratu, simia gustu, aranca tactu, lepores velocitate, pavones ambitione, alia plurima nos longe superantia esse beatiora merito censebimus, quod sane nisi prorsus rationis expertus existimabit. Nam est ergo quaesita felicitas illa, quae nobis et beluis communis est, sed ea magis, qua animantia quaeque superamus et bene vivimus. Quis autem, autore Chrispo, bene vivere poterit, nisi qui aliquo negotio intentus alicuius preclari facinoris bene famam quaerit. Maioribus ergo quam corporis

aut fortune bonis constituendam beatitudinem scrutaturi, abiectis prorsus imbecillibus Aristipi et Epicuri opinionibus per omnigenas rationis humanae disciplinas et artes sive liberales et theoreticas sive mechanicas et practicas operae pretium discurrere arbitramur, quae nam sit illa cognitio ceteris praestantior, quae nos efficacius ad metam beatitudinis conducatur. Porro cuius investigatione clariori duplicem sane modum eruditionis fore premitteremus, alterum quidem humanitus ex naturali rationis indagine proveniente, alterum vero divinitus ad cuius assecutionem se habet humanus intellectus, ut mere patiens absque ulla intellectus agentis activitate, sed supernaturali inspiratione et ex creditis principiis robur assumit assensus. De utraque autem disciplinandi modo sermonem facturi hoc in loco.

Primum de naturali modo eruditionis, quid in illo beatitudinis humane contineatur, disseremus, postremo autem de secunda materiae cognoscendi pertractabimus. Quantum igitur ad disciplinas humanitas inventas, quae tantum dignitates homini praestant, ut non solum caeteris corporis aut fortunae bonis preferenda sint, sed hominem ab homine, non secus differre faciunt quam vivum a mortuo et bonum a malo. Omnis enim malus est ignorans et omnis recte sciens bonus, quoniam impossibile videtur, quis scienter quispiam male operetur, nisi quandoque malum sibi bonum apparuerit. Omnis ergo virtus et vitium erit in prosecutione et fuga, scientes enim a malo simpliciter cognito continentes erunt et fugient vel minus malum, quod videbitur boni rationem tenere, prosequuntur. Ignari autem ab ipsa sensuum concupiscentia deducuntur et absque dictamine recte rationis malum sub ratione boni prosequuntur. Et ipsorum intellectu male negotiante, quia ignorante peccatum committetur. Bonus ergo Deo et hominibus gratus erit, malus autem per oppositum. Quid autem diversi disciplinarum inventores earumque professores nobis attulerint perfectionis et felicitatis iamiam explicemus ab initiis eruditionis inchoantes, ne forsitan difficilis haec investigatio sub dubio relinquatur illis omis-  
sa. Quid ergo primum nobis eruditi grammatici aut facundi oratores praestant beatitudinis? Nihil equidem aliud, quam congrue loqui et efficacius benedicendo persuadere, quae sane, quum sint animi operationes valde remissae nequamquam beatos efficere possunt earum professores. Dialecticus autem aliquantisper animum extollit al-

tiusque pertentat ratiocinationibus evolare, quandoquidem per opus intellectus universalem sibi methodum fabricavit, ut in practicis a malo et in speculabilibus a falso tutior evaderet.

Verum et ipse a vera beatitudine videtur longe remotus, quoniam circa rationis entia per opus intellectus causata tota versatur eius intentio. Arithmeticus vero incomprehensibilem fere omnium rerum multitudinem suo numerorum ambitu comprehendere atque terminare contendit. Atque profecto neque ipse ad veram beatitudinis metam hac serie numerorum sufficienter perducitur, quoniam certitudinem essentialium, praesertim causae primae nequamquam superstat. Neque pariter nos geometra beatos efficit, quoniam ipsius professio trinam corporum dimensionem, longitudinem et latitudinem atque profunditatem, requirit et cognoscendi capacitatem et continentiam, quae longe ab ipsa felicitate remota est. Neque sane ipsa musica beatos efficit eius professores, quae non solum caelestes orbium harmonias, verum etiam cantus humanos et ipsorum melodias auribus delectabiles edocet, quibus animae passiones in iram provocantes mitigantur et effeminati ac timentes in robur et ad arma provocantur. Si etiam prospectivam aequo animo voluptemus, ab ipsa beatitudinis assecutione longe remotam comperiemus, quia solas rerum distantias et inaccessibiles moles et altitudines atque profunditates certa ratione metitur et in angustam formam quamcunque moles sive machinam similem, tamen repraesentare ac reducere proficitur, de quibus iamdudum in speculo nostro astronomico diffuse tractavimus. At quippe neque iuris consulti nos efficient beatos, qui, etsi more peripatetico scientifici non sint, sed morales, satis atamen animam disponere videntur omnia legibus coercendo et vitia reprimendo, prout eorum facultas naturali philosophiae subalternatur atque ab illa dictamen rectae rationis assumit, humanos actus ad virtutem et pollitiam reducendo interque extrema vitia mediam eligendo virtutem. Haec sane plurimum praeparantur mortalium animos ad capessendam rerum speculationem, quoniam, ut inquit Salamon, in malevolam animam non introibit sapientia Dei. Naturalis autem philosophia videtur perfecto maiorem praestare nobis perfectionem caeteris ante memoratis disciplinis, ipsa tamen nequamquam beatos reddet eius assectis, quoniam circa sensibilibus et materialibus sive corruptibilibus motus et mutationes versant atque per accidentia novem super praedicamentorum dicamentorum quidditates rerum cognoscere laborat. Philosophus autem, quando pro cognoscenda

substantia sensus omnes est expertus, ab intento fine frustratus existit diminutamque rerum cognitionem substantiarum praesertim posteris dereliquit. Humanusque intellectus parum quiescit, immo semper haesitare videtur. Neque id absque ratione evenit, quoniam intellectus indiget sensuum famulatu, qui ad substantiam minime se profundant *nihilque in intellectu est*, inquit Aristoteles, *nisi prius fuerit in sensu*. Quid ergo de rebus universalibus perfecte cognoscimus? Omnia quippe diminute ac fere contingenter, modo magis universale, modo minus universale considerantes, prout obiectum exterius, fortius movebit sensum et illud primo intelliget. Nequamquam igitur naturalis philosophia nos ad veram beatitudinem deducet. At sane his omnibus concessis tanquam rationi consentaneis occurret nobis ipse metaphysicus, quem divinum philosophum vocitat Aristoteles certamque mortalibus metam prosequendae felicitatis promittet. Quandoquidem praecipua ipsius professio circa genus entium abstractorum, Deum scilicet et intelligentias versatur nobilioremque notitiam praestare videbitur de substantiis omnigenus, quam naturalis philosophus de corporibus dumtaxat et per consequens beatos efficiet illius professio. Verum enimvero, quum iuxta philosophi documenta sensus ad ipsas abstractas intelligentias nequaquam extendi possint, quas sane cognitionem de illis praestabit metaphysicus? Certe medicam positivam, sed magis per negationem, quam perfecto minimam cognitionum assequendarum tradidit philosophus in posterioribus analyticis.

Qualis ergo erit ficta potius illa felicitas Averrois per copulationem intellectus agentis cum possibili post adeptionem omnium habituum absque ulteriori intellectus negotiatione circa sensibilia, quaeritando noscere conclusiones ignotas per praecognita principia. Nullam quippe nobis afferre felicitatem Averroem, quisque peritus opinabitur, quandoquidem ad hos habitus acquirendos Averroico more, natura noverca potius quam parens, medium nobis adeo subtraxerit, ut non solus supercaelestes intelligentiae, verum etiam rerum materialium essentiae, simpliciter ignorentur ipsarumque diminutam cognitionem assequimur et si circa eas homini sensus hora quacunque versari experimur. Non igitur beatus quempiam efficiet metaphysica, quae longe plura promittit professoribus, quam possit attendere. His ergo pretermisissis, veluti remotis, adhuc ab ipsa felicitate nobis fortasse beatitudinem praestabit medicina, quae sane prima fronte maximum videtur nobis praebere aditum ac emolumen-

tum ad ipsam consequendam, nos in sanitate conservando et ab aegritudine liberando, quae ex sensatis causis veros in nobis effectus producit, aegrum sanando et sanitatem continuando, sine qua more Peripatetico non contingit quempiam esse felicem. Verumtamen si medicinae facultatem universam sive theoreticam sive practicam recte consideremus, ipsa nequamquam poterit animum quietare, quin maiora nequam non excellentiora bona, quam sanitatem ipsam concupiscat. Immo talibus admissis grande videretur sequi inconveniens, quandoquidem idiota, unde quaqua incolumis putabitur beatus. At quis adeo rationis expers hoc admittet? Nemo, Hercule, nemo. Quoniam idiota nequamquam meretur dici beatus, immo animal infelicissimum sine veriori frustratum. Licet igitur omnes praedictae artes ac scientiae speculativae perficiant animam rationalem nobis, quam plurimum conferant, minime tamen ad perfectum cognitionis gradum et felicitatem elevabunt. At vero quispiam veritatis indagator quaeritabit, quae nam sit illa potior disciplina inter humanitas adinventas rerum cognitiones? Quae magis intellectum perficiat et plures atque nobiliores entium gradus manifestet? Ex quo nulla praedictarum est sufficiens. Respondendo profecto arbitror nullam fore admirabiliorem caeterisque nobiliorum ipsa astronomia. Quae caelestium est, sola contemplatrix humanumque intellectum, adeo elevat ab omni sublunarium sorde, ut ipsum summopere similem intelligentiis reddat. Quarum cognitio, ideo est, perfectior quam omnes temporum differentias et effectus, adeo mente revolvunt, ut cuncta sive praeterita sive praesentia sive futura facile percipiant. Maxime prima intelligentiarum sese intuendo singula cognoscit. Similiter equidem homo acquisitis praedictis liberalibus disciplinis, veluti praeviis animae dispositionibus divinae astronomiae famulantibus, praecclaris huius artis auspiciis facile contemplari poterit, quomodo praeterita cum praesentibus et futuris coniunctenda sint. Omniumque effectuum sive praeteritorum sive praesentium sive futurorum, qui sublunari globo fiunt, praecipuas causas poterit assignare. Quae sane caelestia sunt corpora, quae suos adequatos effectus in terrestri situ determinatis periodis producant, non solum in annona, epidemia et mutatione temporum, verum etiam de omni mutatione regnorum mundi et sectarum. Quae sane stellarum cognitio mirabilis ad sanitatem et maximum actionum humanarum commodum conducit et plurimum confert.

Ad sanitatem quidem, quoniam praecognoscendo caelestes influxus et minaces constellationes multa futura mala, inquit Ptolemeus, praecavere possumus, quae ignaris astrorum sepiissime contingerent, prout praecognoscendo caeli minacem dispositionem per febrem futuram vel quodcumque aliud infortunium. Alterando primo ipsum corpus per qualitates contrarias et dietando atque debite evacuando febris illa non accidet vel remissius affliget. Ad utilitatem proficit astrorum cognitio in actionibus humanis, quoniam praecognoscendo stelliferos motus in annona qualiscunque ventura fuerit, de ipsa quispiam recte providendo bene dictari poterit. Ad felicitatem denique non mediocrem et animae perfectionem caelestis contemplatio maxime confert. Quoniam prisci futura praecognoscentes apud homines magni et sapientes dicebantur, ac veluti prophete et quodammodo pro diis in terris habebantur seu Dei vicarii. Quidquid enim summus rerum opifex per stellas producere intendit, astronomis dementissime primo communicavit, quod sane facile est videre. Nonne Abraham, ut in Genesi legitur, in astrorum scientia peritissimus in maxima priscorum veneratione habitus Indos et Egyptios illam edocuit. Atlas ob hius doctrinae praestantiam ab antiquis caelum sustinuisse dicitur. Quid de Mercurio illo Trismegisto referam, qui hanc ob admirabilem sapientiam summo cum honore terrenus deus ab hominibus habitus est? Taceo Linum, Orpheum et mirabilem illam Sybillarum multitudinem summis laudibus decantatam, non alia de causa, nisi quoniam caelestium cognitionem optime caluerunt. Haec igitur est illa caelestium sapientia, quae omnes inter humanitas adinventas disciplinas ingenium summopere perficit magisque nos in rerum admirabilium cognitionem deducit, quam omnes aliae supra memoratae disciplinae, sicut unicuique recte cogitanti videre licet. Quandoquidem nulla fiat in aliqua scientia verior effectuum in suas causas resolutio, quam in hac caelestium peritia.

Neque ab re philosophus persensit meliora esse modicam habere cognitionem de rebus superioribus, quam maximam inferiorum ob maiorem naturae dignitatem. Quis enim ambiget caelestia longe praestare caeteris sublunaribus? Immo, quaecunque contingunt in inferioribus antea virtualiter in caelestibus continentur. Aeterna enim voluntas et invariabilis et infinita potestas naturae totius opificis caelestia creavit, veluti secundas causas, quibus mediantibus effectus omnes inferiores idealiter ab aeterno in mente sua existentes ad extra

in tempore producit, quo ad ipsius ordinatam potentiam, tribuens unicuique formam propriam, virtutem atque operationem, ut decet ad libitum donantis Dei donare cui vult et cui non vult non donare. Qui profecto neque ex hoc personarum acceptator dicendus est, quoniam omnia sunt illius effectus, nulla causa meriti rei productae praeexistente, ideo neque plus merentis recipere, quam receperit dono et gratia datoris. Caelestia igitur agunt haec in inferiora motu lumine et influentia determinata veluti causae secundariae, quae ideo a primo rerum omnium opifice creatae sunt, ut ipsas agere motus proprios, Augustino teste, Deus permittat, quae sane maiorem de ipso Deo glorioso cognitionem praestant nobis, quam reliqua entia sublunaria. Qui ergo plures harum perfectionum gradus ex inventione propria vel alterius eruditione caluerit. His certe praestabit caeteris et maiorem felicitatis gradum naturaliter haberi possibilem pertinet.

Caeterisque longe anteponendus erit, veluti Dei amantissimus. Ex his igitur aperte monstravimus, quibus in bonis rationalium beatitudo possibilis haberi per naturam collocanda sit et quantum omnes inter disciplinas humanitas inventas astrorum peritia sit caeteris preferenda. Reliquum modo superesse arbitramur, ut grandes nobis futuras obiectiones de suprema felicitate fidelibus adducendas e medio tollamus. Facile namque intueor plerosque oppositores, qui naturalibus rationibus hominem beatificari nequamquam putant et iure quidem, quoniam perfecta felicitas in distincta Dei cognitione atque fruitione consistit. Quarum profecto nulla scientiarum, ut vera fatemur, nobis elargitur. Sed quaedam gradus pauciores et quaedam plures, ut antea monstravimus ex disciplinis per naturam haberi possibilibus. Ex creditis igitur opere pretium est modo indagare, quatenam fit illa professio, qualem nos in claram Dei et intelligentiarum peritiam deducat. Omnes profecto in hanc devenire sententiam comperimus illam esse theologiam, quae de Deo sermonem indicat. Hanc autem bipartitam esse apud veteres invenimus, ut verius disseramus: Cabalisticam, scilicet et orthodoxam. Utraque profecto summam Dei cognitionem suis pollicetur professoribus. Cabalistica autem professio apud Hebraeorum monarchas est arcana Dei et intelligentiarum cognitio in litteris Hebraicis et punctis constituta, quam ex Moysiaca litteratura de-

ducunt multifariis earum combinationibus et numeris ad ineffabili quopiam et unico Dei nomine, quattuor litterarum progredientibus, in quibus arcana Dei, misteria et miracula contineri et per ea fieri possibilia existimant. Qui olim ore tenus ab antiquis eorum praeantibus communicabantur. De quibus curiosissimis Hebreorum creditis plurima extant, ut aiunt, Cabalistica volumina, ut liber Zoar a Symone ben Iochai editus et liber Sarrha Abora et Imbre Cephars et Cephars lachyra Abrahae, Cephars Themonoth et Canba et quamplura alia volumina de mysteriis illius Cabalisticae professionis. Quam sane professionem dari hominibus veluti beatificantem animam rationalem nequamquam arbitramur neque approbamus et, si multifarias contineat, contemplationis indagines et spirituales subtilitates. Sed veluti metaphysica plura pollicetur quam executioni demandet, licet in Cabalisticis illis voluminibus maiora sint inserta Dei et intelligentiarum penetralia, quam in tota Aristotelis Metaphysica, quae communissimos entium conceptus mortalibus demonstrat et de genere abstractorum, quae ex sensatis eliciuntur insinuat.

Quum igitur professio Cabalistica nos efficere beatos nequeat, ad solam profecto illam orthodoxae fidei theologiam pro capessenda felicitate suprema recurrendum est. Quae supra omnes humanitas inventas disciplinas et Cabalistarum peritiam nos in clarum deitatis intuitum deducit pluraque exequens quam polliceatur. Haec est illa scientiarum omnium regina et supremi rerum opificis contemplatrix, qua sane duce sanamur ab omnibus languoribus corporis et animae contraque omnia mundi pericula, clipeus est munitissimus, cuius felicibus auspiciis in facialem illam Dei cognitionem beatificam deducimur. Quam nobis prestare dignetur altissimus, cuius nomen ineffabile per saecula sit exaltatum. Amen.